

1223.

[m. 1.]

habere saluum conductum ad harnesium illud per balliam vestram salvo ad nos conducendum. Teste H. etc. apud Lemenistre, xxv die Septembris, anno regni nostri septimo. Per eundem.

*De licencia eligendi.* Capitulum Exoniense habet litteras de licencia eligendi. Teste H. etc. apud Lemenistre, xxv die Septembris, anno regni nostri vij. Per eundem.

*De presentacione.* Dominus rex concessit et dedit Luce, capellano H. de Burgo justiciarii Anglie, cancellariam Lichefeldensem cum prebenda ad eam pertinente, que vacat et ad domini regis spectat donacionem ratione episcopatus Coventrensis vacantis, et in manu domini regis existentis. Idem L. habet litteras inde directas decano et capitulo Lichefeldensi quod ipsum ad eam admittant, stallum ei in choro et locum in capitulo assignantes. Teste H. etc. apud Lemenistre, xxvj die Septembris.

Mandatum est baronibus de scaccario quod demandam quam faciunt Waleramo Teutonico ad scaccarium de hoc termino festi Sancti Michaelis anno etc. vij pro stagnaria Devonie, ponant in respectum usque in tres septimanas ab eodem festo Sancti Michaelis. Teste H. etc. apud Mungumeri, xxx die Septembris. Per eundem.

[*Cancelled.*] 'Quia in rotulo finium.'

*De licencia emendi et vendendi.*—Rex omnibus baillivis et fidelibus suis presentes litteras inspecturis, salutem. Sciatis quod Resus Crek et Mailgun filius Resi venerunt ad fidem et servicium nostrum. Et ideo vobis mandamus quod eis et hominibus suis emere et vendere permittatis per baillias et terras vestras, sicut solebant antequam mercata eis prohiberi faceremus. Teste H. etc. apud Mungumeri, vij die Octobris, anno regni nostri vij. Per eundem.

*De prisonibus captis.* Rex W. de Lascy, Johanni de Monemue, Waltero de Clifford, Hugoni de Mortuo Mari, salutem. Mandamus vobis quod secure manucapiatis erga venerabilem patrem S. Cantuariensem archiepiscopum per litteras vestras patentes quod corpora Rogeri Pichard, Johannis de Weldebuef, David de Burghull, Henrici de Fraxino, Roberti de Burghull, Hugonis de Radenour, et Johannis filii Michaelis, qui sunt in prisona Leulini, si eos a prisona liberaverit, eidem Leulino reddentur in crastino Purificacionis Beate Marie anno regni nostri viij, si vivi fuerint; nisi a prisona sua liberati esse debeant per iudicium eorum qui constituti sunt taxatores de interceptionibus factis nobis et nostris a predicto Leulino et suis. In cujus rei testimonium, has litteras nostras patentes vobis mittimus. Teste H. etc. apud Mungumeri, ix die Octobris, anno etc. vij.

*De protectione.* Baldewinus de Hodenet habet litteras de protectione quamdiu fuerit in servicio domini regis apud novum castrum quod dominus rex firmari facit extra Mungumeri, et quod ipse et omnia dominica sua interim sint quietata de sectis comitatum et hundredorum, et de omnibus placitis et querelis, exceptis placitis corone nostre. Teste apud Mungumeri, xj die Octobris.